

III.  
NEOVIDENSIS

Nro. 66. (*Neovidensis* 1806. Nro. 59.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,  
ac mortuos.*

Epistola missa ad Franciscum, Antonium  
Blanc in Elysium.

*Ex mundo superiore.*

Elysium. -- Meum. -- Die Martis 5 Augusti. 1806. (Neov. 22 Julii.)

Cum voluptate memini felicis illius temporis, quod A. 1772 Pragae jucundissime una, ac amicissime transegimus. Amice! Quo risu ibi in sic dicta insula Veneta excepimus id, quod deinde prostratum, ut iterum redintegraretur, omnibus votis expetiimus? — Carpendi, et novandi studium nos corripuerat, quemadmodum hodie adhuc mortales, sorte sua minime contenti, omnia pro suo genio immutata volunt, ita nos quoque illius aetatis, heu! multum felicia tempora accusavimus, uti etiam a Majoribus nostris secundum longum usum introductum ordinem.

Verum mundus — post multam experientiam lubens iterum revertitur ad priora, atque homines, qui nunc sunt, ingenue fatentur, se toto coelo errasse; Ejusmodi conversio hodie nullam sapit novitatem, meque sequens consideratio de Constantino Magno f.

dem Christi amplectente impulit, ut has literas exararem :

Constantinus deliberans de assumenda Christiana religione convocavit Senatum, et ex eo quaesivit, an nihil haberet, quod huic proposito opponeret. Philosophus Maximus primus attollens vocem inquit : Magne Imperator! Si Christo nomen dederis, omnes in imperio tuis inhaerebunt vestigiis; Qui enim religionem mutat, committit se periculo, id saepius faciendi. Hic ego nolo inquirere, quae nam fides sit vera. Ordo regni consistit in constanti immutabilitate. Tui Antecessores, Imperator! hoc principium semper observarunt. Si illi religionem Christi insectati sunt, id eis ferocitati indolis attribui nequit, complures enim illorum divinam fere benignitatem exercuerunt. Metuebant itaque mutationem, et quo ex motivo tu eandem hodie minus reformidas?

Non sum ego, Maxime! respondit Constantinus, causa hujus mutationis. Illa non est opus humanae potentiae, sed effectus temporis, vel melius dicendo, rationis. Non venitne causa, quae religionem per tria saecula usque ad contemptum, et mortem lacescitam, incolumem conservat, inde ab alto? Cur tam multis Imperatoribus, qui eam extirpare omnibus nervis contendebant, non successit evertere, et cur illa in medio persecutionum magis, et magis propagata est? Non estne hoc signum supernaturalis potestatis in animos hominum? Times mutationem? cur illam non est verita Roma, dum omnium

nationum Deos sine discrimine in suum sinum recepit? Solo ergo timore ducatur erga Deum Christianorum? Cave, Maxime! ne odium pro veritate, aversationem pro inconstantia venditaveris. In praesenti animorum, et negotiorum publicorum motu, dum barbari singulis momentis interitum minantur imperio, in eo mihi eritendum est, ut Rempublicam defendam, et quod aliud suppetit hanc in remedium, quam superstruere ordinem inviolabilis regulae, de qua tantum loqueris? Hanc autem regulam suppeditat religio Christiana, quae homines regit virtute falli nescia.

Quid? ait Maximus, Tu te hominibus subjicias; qui se affirmant errare non posse? Et quare non, Maxime, reposuit Constantinus; non essetne hoc faciendum, si ordo exigeret societatis civilis?

Sed, involavit in verba Maximus, gloria, ambitio, ratio, et opinio Philosophorum respuunt tale jugum.

Nec tua, nec mea est opinio, dicebat Constantinus, quam spectare debet genus humanum; Quod enim reipsa desiderat, est ordo rerum, et tranquillitas. Si sensa hominum, eorumque superbiam in consilium vocaremus, quae posset haberi pax in orbe terrarum? Religio, quae tantum subjectionem requirit, finem imponit omnibus dubiis, et violentiis. Dignitati coelestis bonitatis conforme est humano generi salutare jugum imponere, illi etenim interne omnes se libenter submitunt. Infallibilitas, quae te tantopere commovet,

habet divinum characterem, et si datur in mundo vera religio, non sufficit, ut tantum doceat virtutem, debet illam docere vi infallibili, secus non subsistet, sicut sine tali vi nihil potest esse diuturnum. Excipe me attentius, Maxime! Si Deo aeterno collibitum fuit, hominibus dare certas veritates, quibus regantur, tunc doctrina, quam religionem nominamus, debet omnibus convenire. Illam debet posse ita comprehendere doctus, sicut indoctus, fortis, uti debilis, aequaliter denique felix, et infelix. Illa debet tollere omnes confusiones, et praecavere cunctas ingeniosas, et adversantes inquisitiones. Sed qua ratione hoc potest obtineri, nisi vi infallibili?

Agnosco, Magne Imperator! dixit Maximus, optandum foret, ut tam insigni remedio instruantur homines. Ex eo tamen, quod desideretur, minime sequitur, illud etiam reipsa existere.

Constantinus subiecit: Ea ipsa ex ratione, quod tale medium optetur, surgit argumentum, illud necessarium esse; et si est necessarium, existit etiam. Non animadvertisne, Maxime! talem vim inniti necessitati recti ordinis, sine ea enim non possent uniri diversi ingenii homines ad agnoscendas easdem in fide veritates? Et cui usui sit intellectus humanus? Ut perspiciat necessitatem ejusmodi subjectionis.

Ast, Magne Imperator! si sermo est tantum de subjectione, tunc ratione, et iudicio

carer  
nos

judic  
bus  
re p  
tio a  
vi s  
pia  
serv  
in c  
libi  
xim  
ana

Eti  
par  
ho  
bu

ter  
ct  
ne  
H  
ci  
p  
o  
m  
d

v  
n

carere possumus, nulla ex his facultatibus in nos redundat utilitas.

Nequaquam, ait Constantinus: Ratio, et iudicium eo magis resplendent, quo plus talibus tantum rebus se occupant, quas penetrare possunt, et in objectis, quarum perquisitio ad errores, et falsas notiones ducit, illi vi se subicere conantur, quae omnia principia dirigit ad rectum ordinem, et pacem conservandam. Nobilissimus itaque rationis actus in eo situs est, ut in negotiis religionis infallibili huic vi fidem adhibeat. Vide sis ergo Maxime! omne hoc, quod in Religione Christiana fides appellatur, esse divinam veritatem.

Maximus paululum meditabundus inquit. Etiam si tibi Imperator! omnia concesserim, parum tamen inde lucri reportabis: Putasne hoc principio retrahendos homines, ne affectibus fraena laxent?

Ita, Maxime! affirmavit Imperator. Caeterum semper adhuc remanebit firmum punctum ad cognoscendam veritatem, et homines ad conjunctionem, et pacem reducendos. Hoc punctum est infallibilis illa vis. Vae Principi, qui admisit, ut illud impetatur. Ille populos ad seditionem concitabit, erit primus ordinis inimicus, et forte peribit; hic tamen metus non invertit meum propositum, nec detrahit quidquam de veritate principii.

Maximus aliquantum perplexus quaesivit: Ergo tu tolles libertatem cogitandi? eliminabis omnem philosophiam?

Imperator ad haec: Ain' philosophiam?

Maxime! datne illa jus singularibus factis convellendi communem rerum ordinem? Libertas cogitandi pertinet ad conscientiam, utinam homines suas cogitationes uti actiones in ordinem redigerent, in origine sua suffocaretur malum. Forte existimas me quietem populorum inanibus quorundam Philosophorum discordiis postpositurum? Quae potentia potest eorum opiniones componere? numquid vis rationis?

Maximus cum impetu: Non possum ego ut Philosophus mihi tantum arrogare, atque tu?

Constantinus reposuit: Utique; sed si dissenserimus, quis dicet sententiam? Iterum recurretur ad rationem?

Omnino, Constantine!

Et quis rectam fuisse rationem asseverabit? Philosophi.

Bellissime, inquit Constantinus; Quilibet igitur idem prætendat jus, & consensus nunquam obtinebitur, dumque singuli propugnabunt se esse philosophos, se veram excusasse rationem, dissensionum non erit finis. Quapropter confitere, Maxime! necessarium esse infallibilitatis criterium, illamque religionem esse rationi quam maxime accommodam, quæ principio innititur, sine quo nulla veritas potest esse diuturna.

Celebre Constantini Edictum illico post habitum Senatam publicatum est. Magnus iste Imperator probe novit, ad dirigendum ordinem politicum a quolibet Imperante dan-

dum  
ligio  
cum  
qui  
dens  
ruin

Con  
Regi  
fectu  
Blan  
prin  
gi,  
grav  
lis  
& s  
ner  
ut  
rati  
ber  
ho  
reg  
ad  
17  
Re  
no  
mu  
Pr

dum esse subjectionis exemplum in rebus religionis. Omnia principia intime nexa sunt cum compage societatis civilis adeo, ut, qui vel unicum subruerit, tanquam imprudens spectari possit, qui hodie, vel cras sub ruinis suum sepulchrum inventurus est.

### BIOGRAPHIA.

Die 6. Aprilis hujus anni mortuus est Constantiæ ad lacum Bodamicum Cæsareo-Regius Consiliarius, & urbis ejusdem Præfectus annos natus 72. Franciscus Antonius Blanc. Natus erat Valdkirchæ in Brigovia, prima scientiarum fundamenta hausit Friburgi, tum se militiæ addixit, verum accepto gravi vulnere ad eam continuandam inhabilis redditus, totum se condiscendæ historiæ, & scientiis Cameralibus tradidit, in quo genere intra exiguum tempus ita se dixinxit, ut Sua Majestas, immortalis memoriæ Imperatrix, Regina Maria Theresia eum in Gubernio Silesiaco Assessorem nominaverit, ubi hodie adhuc perdurantem inveniit Urbariam regulationem. Hinc fuit translatus Pragam ad supremum regiminis collegium, anno vero 1773 factus Consiliarius Aulicus in Cæsareo-Regia Bohemico Austriaca-Cancellaria. Anno quidem 1777 nullo fundus est publico munere, at statim sequenti anno obtinuit Præfecturam in Comitatu Hohenbergico. Vix

adierat imperium Josephus II. Imperator, non tantum renunciatus est primus Consiliarius in gubernio Brisgoviensi, sed etiam Pro-Præses in negotiis juridicis; tardius denique eidem obtigit Præfectura urbis Constantiensis, in qua statione indefesso conatu usque ad mortem bonum commune promovebat. Quamvis varia subierit fata, eandem tamen semper retinuit mentem, amantissimus boni publici, & patriæ.

---

*NB.* Oculista, de quo No. 62. facta mentio, vocatur Carolus Keller, curat omnes oculorum naevos, ipsam etiam cataractam, Quod si occurrat malum docta arte majus, sincere declarat, contra vim morbi non dari medicamen.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales prostant :

Gubernáth (Antonii) Linguae, & Litteraturae hungaricae in Regia Poseniensi Academia Professoris P. O. &c. Institutiones Linguae & Litteraturae hungaricae. Tomus I. complectens Grammaticam cum Syntaxi. Tomus II. complectens ornatam Syntaxim cum Phraseologia et Cortesia. 1803. T. II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.  
Jantin & Montigny, conte Moral, par l'auteur de l'histoire de Sudmer. 1804. 1 fl.

---